

IN PASSIONEM S. VICTORIS PROLOGUS MARBODI ANDEGAVENSIS.

Cum studeat dæmon sanotis inferre ⁹⁹ polemon,
 Nec jam lætetur, nisi fallat et insidietur,
 Est opus instandi, ne qualibet arte nefandi
 Mens decepta cadat per quam sibi gaudis tradat.
 Perditus et tristis semper vacat artibus istis
 Pugnat et instigat quærens ubi spicula figat
 Nam satis ignitas plures habet iste sagittas,
 Quas quia non cernit stultus, quasi somnia spernit.
 Spernitur, et spreto moritur pars ultima letbo,
 Dumque dolet vitam, dolet hanc non ⁹⁹ esse sagittam.
 Si feri posset spondens quia jam bene nosset,
 Condoluit frustra, quia polluit ultima lustra.
 Quam bene te, Christe, martyr cognoverit iste
 Mors probat; ignoti non est hæc passio voti.
 Si non vovisset, non in Victore fuisset
 Tam celebris virtus, quam tortor abhorruit hirtus.
 Vincere Victorem palmæ designat honorem;
 Nec foret hic Victor, si posset vincere lictor.
 Prologus explendus, quia mons gravis aggrediendus.
 Ergo meis gestis non detrahat æmula pestis.
 Tu, Deus, hanc arce, si quid minus invero, parce.

⁹⁹ Turon., *Palæmon.* ⁹⁹ Turon., *non nosse.*

PASSIO SANCTI VICTORIS MARTYRIS.

Cum furor insani regnasset Maximiani,
 Neo minus insanus collega Diocletianus,
 Ut par majestas, ut par in utroque potestas,
 Sic fuit ad funus sanctorum spiritus unus.
 Unus et ad pœnas animus laxabat habenas.
 Et velut ad quosque suadebant templa deosque,
 Sic titulum Christi prohibebant omnibus isti.
 1520 Tantus erat terror, tantus jam creverat error,
 Ut fidei cultum nusquam pateretur inultum.
 Alter enim princeps, pars cujus nemo deinceps
 Hanc habuit curam cladem post libare futuram.
 Massiliæ scribit: Nolens libare peribit;
⁹¹ Mandat et hoc turbis, magis autem civibus urbis,
 Ut bene perquirant qui sunt qui in numina (93
 [spirant.
 Ne lateat, scribit, quia si valet ipsemet ibit.
 Adveniens ergo, postponens cætera tergo,
 Præcipit assisti dictos de nomine Christi.
 Siatitur iste foro de quo dictare laboro;
 Nescit adhuc unus, quid dicat uterque tribunus:
 Cur sic, Victor, habes? aiunt, contemnere debes

A Leges Romanas, et res inducere vanas?
 Nunquid non nosti quod regnum debeat hosti?
 Vel quæ dona feret qui nostris legibus hæret?
 Insuper ut duret tua jam devotio curet.
 Multum delinquis, Victor, concedo quod inquis.
 Nec sumus ignari sic nos debere precari,
 Victor, sit præses, si non responsio deses,
 Cur piger existis coram præsentibus istis,
 Hic ubi sunt aræ nobiscum sacrificare?
 Sic enim diras sedares principis iras,
 Neo foret incertum regem tibi jure miserum.
 Victor ad hæc sanctus: Quantos sæpissime plan-
 [ctus
 Propter eos planxi, quantisque doloribus auxili
 Cor, recolens illos, quos sic patet esse pusillos,
 Ut miseris fanis, fanis? magis imo profanis
 B Subjiciant mentes per abusum dona ferentes.
 Nunquid ad hoc numen si vis intendere lumen,
 Cum videas ipsum quod habes pro numine gypsum?
 Esse Deum credes qui per te venit in ædes?
 Nonne recordaris quia per te pausat in aris?

(93) F. qui numina spernant.

⁹¹ Tur., *Scribit.*

Primo fuit limus, nunc inter nomina primus ;
 Seu fuit os vile, seu pellis, sive monile ;
 Ex aliqua fago fuit hic Deitatis imago,
 Et modo multimodas qui per te suscipit odas,
 Per te formatus, per te fuit appetiatus,
 Per te solemnus, per te sibi fama parennis,
 Perque tuum donum plebs hunc putat esse pa-

[tronum

Ut loquar expresse, si quid potuit Deus esse,
 Ocius hoc posset quod vel tua⁶⁸ nomina nosset
 Quod sibi des nescit, cæcus tua dona capescit.
 Si facis hoc vobum, fas est imponere motum,
 Hinc quod ei juras incassum solvere curas.
 Est cui debemus dare nos, et quidquid habemus,
 Scilicet auctori, qui non parcendo cruori,
 Pertulit ante mori, quam subtraheremur honori,
 A quo lugentes nostri cecidere parentes.

Prætor: Agendo moras quasi rhetoris ora peroras,
 Et satis exultas eo quod tibi tanta facultas
 Effual in verbis, et ob hoc fortasse superbis.
 Sed licet astutus, tamen es tua damna locutus.
 Si colis occisum movet hæc devotio risum ;
 Si cruce suspensum, constat te perdere sensum.
 Quod moritur transit. Si quid fuit in Jove mansit.
 De Jove certa fides, quia centum vulnera si des,
 Nunquid vita Jovis solvetur vulnere quovis ?
 Nunc quia rem cernis, cur jam libamina spernis ?
 Si mihi consentis, venies ad templa potactis.
 Utque suus vales cum veneris ante penates,
 Quem contempsisti, cui debita Jura tulisti,
 Vel bove, vel vacca pro tanto crimine placæ.

Sanctus ait: Quædam, sed non hæc omnia cre-

[dam ;

De Jove sum certus, quia nullus in orbe repertus
 1530 Per quem vita Jovis solvatur vulnere quovis ;
 Quod non censeatur subsistere, quid pateretur ?
 Sicut revera nunquam fuit ipsa chimæra,
 Juppiter ipse polo sic regnat nomine solo.
 Quod colo suspensum, non perdo, sed augeo sen-

[sum ;

Quod meus occisus tibi sit commotio risus,
 Hoc facit immensus furor, et turbatio sensus
 Sint res perplexæ, studeat mens, conspicit ex se
 Quid lateat, sed non nisi sæpe revolverit, et non
 Si non concedat quod conspicit et nisi credat,
 Dum res discernes, nisi spernas credere, cernes.
 Ut leve dem signum, formæ Jovis inspice lignum,
 Pro populi cura sacra latet ipsa figura,
 Sit, non sit vere, tamen hunc concedo latere.
 Hæc modo sublimis quasi partibus imperat imis ;
 Lapsa per eventum, si corruat in pavementum,
 Dum fuerit fracta, sunt de Jove cuncta peracta.
 Sic fuit in Christo, sicut concedis in isto,
 Carne flagellata Deitas manet inviolata,
 Mora et aperta cutis medicina fuere salutis,
 Et crucur extractus pollutos abluit actus

A Quod fuit existit, nec mors, nec plaga resistit
 Quin triduo facto, mortis jam principe fracto,
 Rex Deitate polo regnat, se principio solo,
 Transfer ad hunc mentem montes transferre po-
 [tentem,

Ob scelus obliquum ne te subvertat iniquum.

Dixit ad hæc prætor: Quod desipias ego lætor ;
 Præbeas verba satis, sed nullius utilitatis ;
 Per similem casum speras hoc esse suasum
 Partem divinam non sustinuisse ruinam,
 Atque per hoc tandem vis ut fateamur eandem
 Vim Jovis et Christi, ceu par sit Juppiter iæti.
 Juppiter æternus deus est ; tuus iste, modernus.
 Juppiter in celo vehitur saltante camelo ;
 Rex tuus ad bellum passurus duxit asellum.

B Golgotha mons mortis ; si tam sua dextera fortis
 Transferat ut montes, vel possit perdere fontes,
 Cur non translatus fuit, aut cur ipse Pilatus
 Non luit hanc pœnam per qualemcunque catenam.
 Nunc sine quod faris, nescis quibus ista loquaris.

Victor: Tu cessa, tua sit vox morte repressa,
 Qui bona prava putas, et depravando refutas.
 Omni personæ conceditur ex ratione
 Propositum veri vero sermone tueri.
 Esse putas celo vectum saltante camelo
 Quem perhibet plane mæchatum fabula Danæ,
 Ut liber auctoris diffamat sorde sororis.
 Mastigiis mulier si tantum vixit adulter,
 Si tamen est aliquid natura quod esse reliquit.
 Respuo quidquid agas, cum centum sumpsero
 [plagas ;

C Dum me discerpes dicam: Nil in Jove perdes,
 Hoc nisi duntaxat, quia qui peccata relaxat,
 Damnat in æternum qui vel putat hoc hodiernum
 Rex meus ad bellum supplex ascendit asellum,
 Ut monstraretur cum suppliciter veheretur
 Mortem sponte pati sub conditione Pilati.
 Jamque fuga sio et præcedere nuga⁶⁹
 Si fugis a bello, non sponte sedebis asello.
 Denique, si vellet nullus potuisse revellat.
 Si qui obsessus ei medio splendore diei,
 Vel se celasset, vel se super astra levasset,
 Posset et ulcisci, quia posset et hoc adipisci
 Ut superi cætus fieret solamine fretus.
 Nec tetigit sontem, sed nec transponere montem
 Cura fuit, grato tulit hæc Deus omnia fato.

D Prætor: Quæ tractas nisi despicias, et nisi mactas,
 1531 Paucos ante dies Jovis, ut reor, hostia fies,
 Ut modo nobiscum qui posses cingere discum,
 Ut decet Athletam sumens cum Rege dietam,
 Tum tibi si velles daret aurum, pallia, pelles ;
 Postque datum munus modo posses esse tribunus.
 Consilio nostro geminato comeret [f. ornaret] ostro,
 Ultra quemque parem faceret sibi consiliarem.
 Posthabitis istis, Regique diisque resistis.
 Causidicus factus, per quos ignoro retractus,

⁶⁸ Tur., munera. ⁶⁹ Hic versus deest in Turonensi, ponitur tamen in imo margine.

Despicis omne sacrum quoddam ausdendolavacrum. A
 Dicit et abstergi, velut alto in flumine mergi.
 Per Jovis hoc sanum, per regem Maximianum,
 Perque supernorum collegia cuncta deorum,
 Si perseveras, et sic nos vincere ⁶⁴ paras,
 Posce deum scalas, et quas habet Angelus alas,
 Ad quas festinas poterit mox esse ruinas.
 De re tam cauta quid debet dicere nauta
 Desine, vel demum pete littus et accipe remum
 Et solitis bellis coeat his ista procellis.
 Ibis in infernum, jus evitando paternum.
 Mos fuit iste patris, nisi ⁶⁵ conserviret aratra,
 Rusticus obtusus patrios cum sedit ad usus,
 Desipit et plaudit, diffusus ad omne quod audit.
 Quod fuit oblitus, legis putat esse peritus,
 Promptus ut occurrat, referat quod quisque su-

[surrat,
 Surge, deosque voca, sumensque per occiput ocea
 De grege quidquid ames, et sic faciendo reclames
 Perspicuos vultus, et erit tuus error inultus.

Victor ait : Nautæ disponunt omnia caute ;
 Prætores multi sunt in moderamine stulti.
 Sic mihi vile genus, vel sit mihi victus egenus
 Næc duo nil tollent, si juribus intima pollent.
 Istius est moris titulus cælestis honoris ;
 Si bene viventem videat, non spernit egentem.
 Nec decet ut trister, si nuncoper esse minister
 Littoris atque maris, licet impropere loquaris,
 Ut mare sic mundus, gurges satis iste profundus ;
 Per plures mortes plures necat ipse cohortes.
 Hos utinam fructus ad jura paterna reductus
 Vincere sic nossem, quo vos excludere possem.
 Ecce Deum testor, non tam pro morte molestor,
 Quam sum pascurus, quantum quia tu moriturus.
 Non fugis hoc stagnum, non deseris hoc mare ma-

[gnum.
 Ast ego per stellas qui præcognosco procellas,
 Dum mea lucra sequor, solitus transire per æquor,
 Si placet ostendam quam rem credatis agendam.
 Non cita sicut avis quærat et integra navis,
 Nec mora nostra gravis, cum venerit aura suavis.
 Proximus est portus, ubi fons et floriger hortus,
 Vir bonus est hospes, satis est habitatio sospes
 Omnia dat gratis, congaudet et ipse paratis,
 Fragat in orbe domi multi redolentia pemi,
 Si nequeas ore, solo medicaris odore.
 Non animo languor, non est ibi corporis angor
 Sunt ibi personæ, pendent ibi mille coronæ.
 Sunt ibi prætores, et ibi præbeantur honores.
 Ilæc tibi monstravimus ; quod si non credis, eamus.
 Si minus est quidquam, penam volo solvere . . . dic

[quam ?
 Prætor ait : Laudo ; si possim cernere, plaudo
 Sunt mihi cedrinæ fortes, agilesque carinæ,
 Purpurea tela mihi sunt ubi fortia vela,
 Dic ubi duamur ; cum flaverit auster eamus,

Victor ad hæc dixit : Si mens cum voce revixit,
 Jam super ad cælum mentis prius erige
 [velum,
 Desuper aura flabit, per quam tua prora volabit.
 Ob nimiam curam talem prætendo figuram.
 Sit tua mens navis, sit spiritus aura suavis.
 Ipse regat mentem mundum transire volentem,
 Ducat et ad Christum, qui portum possidet istum,
 In lavacro mergat, per quod tua crimina tergat
 Et fames et dipsis tollatur fluctibus ipsis,
 Ingluvie sæva quas olim pertulit Eva,
 Ad cælum auditum cum flecteret ipsa maritum.

Quis modo prætoris rabiem, motusque furoris
 Diceret, et cujus formam transferret in hujus ?
 Ut furit in scena triduo jejuna læna,
 Quæ lupus ora gerit, cum prædam tollere quærit,
 Quos habet incurvus hominem cum viderit ureus ;
 Non similis gestus erat hic pro martyre mœstus,
 Cessat et a verbis, pœnis intentus acerbis.
 Sunt ibi qui lictant pœnæ, quasi carmina dictant,
 Sed velut ex lima faciunt suspendia prima.
 Pugnant pœnores nimios inferre dolores ;
 Sed medicus cœli dat non sentire fideli.
 Cum foret in ligno aspirans corde benigno,
 Sic ait : O gentes ⁶⁶ mentis ratione carentes,
 Effrenes et bruti, mortem ⁶⁷ non usque secuti,
 Jam modo suspensus rogo vos suspendere cœsus,
 A studio tali, nullo magis exitiali ;

Cernitis extensum, sed ad hoc convertite sensum
 Cur ego suspendi paterer, cur undique tendi ?
 Cur vos prætores, cur dedignarer honores ?
 Cur morerer gratis, quod vos omnino negatis,
 Si meus hic cultus noviter non esset adultus,
 Nec foret hic certus, nec legibus ante repertus ?
 Quæ lex jure docet vitulos ut quilibet ⁶⁸ oret ?
 Numinibus multis quæ spes, quæ causa salutis ?
 Cogit ad hoc mentes per se majora potentes.
 Quod manibus sculpis nunc est leo, vespere vulpis.
 Cras homo, funde quater formatur Cerberus ater,
 Transpositoque luto, mox est in imagine Pluto.
 Multiplicans artem, cernes ibi surgere Martem.
 Quid Deus inquire, quia magna scientia scire
 Quis Deus existat, vel quis Deus esse resistat.
 Si res affaris, et ad unamquamque loquaris,
 Sacra vocata licet : Non sum Deus, hæc tibi dicit ;
 Si tacet, hinc constat, quia quod Deus est ibi non

[stat.
 D Si satis est clarum, nulla latet hoc animarum
 Si Deus hoc esset, nunquam sibi sermo deesset.
 Sermo deest, constat quia quod Deus est, ibi non

[stat.
 Nunquid opportunum quod sese dividat unum ?
 Semper et hucusque fuit unum sermo, Deusque ;
 Nec minus apponas quod jam transcendat Æonas.
 Qui tibi nil demet, debet tibi demere semet.
 Sic Deus ⁶⁹ æternus, facie vultuque serenus,

⁶⁴ Tur., speras. ⁶⁵ Tur., cum serviret. ⁶⁶ Tur., hominum. ⁶⁷ Tur., hucusque. ⁶⁸ Turon., oret. ⁶⁹ Tu-
 ron., paternus.

Non Patria iste comes; sed ut est in lumine fomes,
Mens, vigor, et sensus, per quem Pater omnia
[mensus,

Spirat sermones per pneumaticas rationes.
Sic de se mundam præbet sitientibus undam,
Quam quicumque bibit, non amplius ipse sitibit;
Percipietque fidem per quam venerabitur idem.
Sed si sciretis quod ab illo munus habetis,
Et quam clementer tulit hunc sine semine venter,
Ut caro sic factus, carnales tolleret actus;
Et ⁷⁰ quos captivos non ulterius redivivos,
Post fractum postem, post vincitum solveret hostem,
1533 Par foret impuris jam non servire figuris,
Esset, et hoc justum fanum Jovis esse perustum,
Per fidei normam, Deitatis perdere ⁷¹ formam.

Ex his prætextis prætor commotus in extis,
Carcere trudit eum, peragat dum morte tropæum.
Torquet et includit, mentem levat, extera trudit.
Tentat ut enervet; sed mens ⁷² minus anxia fervet,
Nervat et infamat, qui sana deosque reclamat.

Ingrediens lætus sic æstimat esse quietus.
Ipse suæ mortis plus est in carcere fortis,
Flebat et orabat, Dominumque Deumque vocabat,
Sic adhibendo loqui: ⁷³ Deus o, qui factor es! o qui
Regna superna tenes! sapiens qua lege refrenes,
Sidereos cursus relevans per tempora rursus,
Quod radit ex signis aer tuus, et tuus ignis,
Unde novant terræ, quæ possunt semina ferre,
Impatiensque fretum ⁷⁴ timore facis esse quietum,
Spargis ut effundas, et rursus contrahis undas;
Te timet infernus, per te vacat iste paternus
Interitus mortis, fractis cum limine portis,
Qui semel ista facis, tu rex et regula pacis,
Me reges cum rebus, sed plenis, quæso, diebus.
Hic ego nil plenum, nihil contemplor amœnum.
Labilis orbis abit, nos mors et ab orbe vocabit.
Occiduum signum de me satis æstimo dignum.
Sum quasi stella cadens, sed tu mihi surgere sua-

[dens

Sic precor infrena, tali me ⁷⁵ tene catena,
Qua teneas mentem vitis persæpe cadentem.
Spem tamen ut merear, veniat tuus ignis ut urar,
E quibus accensus foveatur denique sensus.

Desque meæ terræ tales et talia ferre
Semina vel fructus quæ sint mihi præmia luctus.
Irriger atque laver quod ab ipsa messe papaver
Aulerat, et sanum faciat procedere granum;
Et tibi more maris talis precor efficiaris,
Ut bene sopitus caveam transfundere littus,
Et frear [f. ferat] inferni locus ipse profundus
[Averni;

Ne me desperet, quem si non parcis, haberet.
Si misereris ita, cur non abit hæc mea vita?

(94) In mare, id est in vas baptismale, in quod
olim baptizati mergebantur, quod mare dicebatur.

A Nonne sub hoc Phœbo vivens nil tale videbo
Quod sit amor mentis tecum regnare volentis
Nonne sub hac luna res est de pluribus una?
Quam non ⁷⁶ delectet si quolibet ordine spectet,
Quod rutilans Phœbus ⁷⁷ referat discrimina rebus.
Sol meus appare, fons luminis irradiare.
Res ego nocturna, tu lumen luxque diurna,
Sparge meam mentem tenebris et morte sedentem,
Et mihi spectanti quod pollicearis amanti
Da, precor, hoc munus, quod ⁷⁸ licet nomine funus,
Re tamen experta magis est animatio certa;
Nam mihi sub divo satis est quia quod modo vivo,
Transitus est quidam, sed et hoc moriendo recidam.
Sic ait, et dictis somno veniente relictis
Carcer odore fragrat, lux carceris ⁷⁹ ante peragrat,

B Angelicusque chorus subit cum laude sonorus
Personat, et psalmum, cum diceret, excitat alium,
Excitat atque refert per nos ⁸⁰.....

Voce quod exoras paucas tibi destinat horas,
1534 Et breve tempus erit sicut tua passio quærit.
Nam cito discedes, cito progredieris ad ædes,
In quibus ut fueris diuturna pace fruieris,
Et vives vita, sicut bonus Israelita.

Dixit et abscessit, redit umbra, metumque repressit
Visio tanta viros, cantus canit æthere miros,
Cum chorus abscedit, sed jam custodia credit
Rem fore cœlestem. Rogat hoc exponere testem
Quis sit et unde sonus? Laus est, ait ⁸¹ iste patronus,
Quam ⁸² semel exsolvit, semel et bis terque resolvit.

Carmen divinum, per quod nos credere trinum
Vox audita monet, nos trinus et inde coronet.
C Exposito visu toto vigilantia nisu
Spem cupit auditam, gaudens ⁸³ proponere vitam
Si merito mortis consors queat esse cohortis.

Sensit ut hoc custos sensus pietate perustus
Mortis amore cremat. Si mors tamen hoc sibi demat
Ut scelus erroris donum sibi tollat honoris.

Martyr ut agnovit sua quod custodia ⁸⁴ novit,
Per se conversos cupiens existere mersos,
Quærit Baptistam qui rem bene noverit istam,
Quærit, et inventum fidei monet ad documentum.
Hic monet, hic pergit, docet, ungit, et in (94) mare
[mergit.

Martyr enim lætus tales producere fetus,
Per quos a primo fuerat sub carceris imo,
Chriamate secundas pater est affectus ad undas.

D Hoc sacer expleto, sic his et martyre læto,
Cum redit ad sedem, repetunt hi carceris ædem.
Nox abit, hancque diu jam lux orientis iliu (95).
Sparserat auroram, cum primam prætor ad horam
Mittens legatum jubet ante venire beatum.

Jussit et itur eo. Plenos putat esse lyæo
Cum videt ardentes in sacro dogmate mentes,

(95) *Illic*, licentia ad sonum rhytmicum illic pro
illius.

⁷⁰ Turon., *Et vos* ⁷¹ Tur., *normam.* ⁷² Tur., *nimis* ⁷³ Tur., *Neus.* ⁷⁴ Tur., *tu mox.* ⁷⁵ Tur., *neclie.* ⁷⁶ Tur., *deflectet.* ⁷⁷ Tur., *referat.* ⁷⁸ Tur., *quamvis* ⁷⁹ Tur., *antra.* ⁸⁰ E. Tur., *Dominus tibi refert.* ⁸¹ Tur., *ipse* ⁸² Tur., *chorus* ⁸³ Tur., *venit.*

Mentes, sed quorum? custodum, non aliorum.
Dicite, custodes, ait hic quid dicere sodes.
Ilos aiunt, quæris? sed non modo sodes habetis.
Cur? ait. Adjungunt: Quia nos sacra dogmatis

[ungunt
Christmata; vos autem colitis pro numine caute.
Luditis, an certis rationibus ista refertis?

Unus ait: Nos, non, sed quos Deus abdicat, hos non
Sumimus in fratres, nec te, si pro Jove lares.
Christiferum sædus olet, hic ait ipse veredus.

Non hic nostrorum, non est odor iste deorum.
Dixit et adjunxit: Quis vos ita, quæso perunxit?
Quis fuit his flector? Docuit vos talia Victor.

Tunc satis iratus, nec plus in lite moratus
Jussit ut exirent, et quo graderentur abirent.
Jussit, et incedunt, gaudent quia proxima credunt

Fata beata fore, benedicunt mortis et horæ.

Ad fora fit ventum, jam sunt ibi millia centum
Qui simul expectant si mors aut verbera flectant
Cor fidei tantæ, cum Victor venerit ante.

Rector [f. prætor] et ipse venit; prius hunc per
[munera lenit;

Cum refugit munus, promittit postea funus.
Sed neutrum donum potuit mutare patronum.

Conveniunt gentes nunc hinc, nunc inde ruentes,
Concutiuntque locum diverso turbine vocum.

1535 Fit strepitus multus, rex quærit: hic unde
[tumultus?

Quærit, et ut scivit, fora mox furibundus adivit.
Cumque vident turbæ quia rex procedit ab urbe,
Mox habitum mutant, metuunt regemque salutant.

Rex abiit, sessum murmur jubet esse repressum,
Imperiique metus compescuit undique cœtus.

Tunc ait ad plebes: Si quid mihi, gens mea, debes,
Consilii recti, si vis mea jussa reflecti,

Cum minus irascar, ne vestro sanguine pascar,
Jam super hoc nequam pœnam pensate, sed æquam
Pœnam, sed talem quam sentiat exitialem.

Nullus adhuc leges, nullus sic denique reges
Sprevit, et in summos unquam fuit hic hominum

[mo
Dicere quod dixit; velut uno vulnere fixit
Nosque, deumque genus, nullus nisi dæmone plenus.

Per similem sortem studuit contemnere mortem.
Hic homo suspensus cœpit pervertere sensus,
Versus et ad gentes, ad Christum vertere mentes.

Hoc aiebat eis: Fuerat lex æqua Thebæis,
Quorum jure quidem plusquam sex millia pridem
Ipsemet occidi. Nullum quoque postea vidi

Qui coleret Christum, doneo modo vidimus istum
Est mihi delatum vos hunc tenuisse ligatum,
Resque meos fidos claves habuisse pagidos (96).

Nescio si verbis, vel si deceperit herbis,

(96) F. paganos, seu cives subditos.

A Sed modo si quid amant hoc extra [f. contra] na-
[mina clamant.

Juppiter et Juno quos germine credimus uno
Progenitos, isti pro cujus nescio Christi

Nomine vilescunt: quod si nova dogmata crescant
Et vetus usus abit, hoc Juppiter improperebit

Omibus in quorum manibus sunt jura deorum.
Sed quoniam regnis non convenit ultio regnis,
Quod facit et fatur sententia nostra sequatur.

Hæc ubi dicta dedit, quod jam magis utile credit
Hoc velut ex uno commendat turba tribuno

Quæ dum tota silet, si diva potentia vilet,
Prætor ait regi: Nihil est punire quod egi,
De minimis rebus conclamat ab æthere Phœbus

1536 Perdere se terris, ad quæ reticenda re-
[ferris

B Et pater et tutor, nam si quibus usibus utor
Perdere duco grave, dile non reor esse suave.

Inde moneto virum, ne sit de principe mirum
Cum prius existas, si res properaveris istas,
Vapulet ut credat, nova dixit, et hunc nova lædat

Pœna, novusque dolor: sic te, sic numina solor.
Si nihil oblectat [f. objectat], sua te conversio

[flectat.

Si facit ut dudum, fac illum ducere nudum
Per lora, per vicos; ponatur et inter amicos

Quisquis eum cadet, cum nec dis nec tibi credet
Supplicis pejus sensus tibi consulit ejus.

Rex capit et laudat, Victor venit et quasi plaudat,
Lætior apparet, quia jam sua passio claret.

Tunc ait Augustus: Si non nisi cæsus et ustus
Distuleris votum, constabit inutile totum,

Turpeque ducetur per te quodcumque feretur;
Nec Jovis hanc sumet, multum licet hostia fumet.

Martyrium, spesque Victoris liba precesque
Cum dederint risum, merito reor esse recisum.

Denique nos perdes etiamsi multa super des;
Postea multa tibi scribentur præmia tibi.

Dixerat Augustus: Si non nisi cæsus et ustus.
Victor ait: Maclem, quid tecum nescio tractem.

Cum et cernas utrum per talia sternas
Spemque meamque fidem, etsi permanseris idem

Ipse meus cultus, etiam vel quando sepultus,
Si cremar et cædar, pars est ubi non ego lædar;

Nec vereor tantum furias et verba minantem,
Quin nihili pendam vel ad hæc suffragia tendam,

D Ut Jovis hanc sumat, si qua mihi victima fumat,
Cujus imago sumus, sibi sit mea passio fumus,

Martyrium spesque Victoris, liba precesque
Cum dederint risum merito ne crede recisum;

Omnia quæ dicis famulantibus offer amicis,
Non opus est donis ubi pugna paratur æonis;

Sufficit ut macler, tua dona tuusque retracter;

⁹⁶ Tur., cur. ⁹⁷ Tur., nomine. ⁹⁸ Et novus, ⁹⁹ Tur., retinenda. ¹⁰⁰ E. Tur., Cum sapias cornes.

Nam nil terrenum necis esse potest alienum,
 Quod vel morbus edit, vel quoque sine recedit.
 Quod sequimur cultum, si Cæsar passus inultum,
 Vivere nos sineret, mors stare diu prohiberet.
 Quod modicum durat, quis non bene perdere curat?
 Nam bene mactatur, qui cœlica regna lucratur.
 Huic honor est partus, qui Christo devovet artus.
 Si caro vilescit, flatus super astra nitescit.
 Nescit enim funus, sed habet sine lumine munus,
 Quod nequit os fari, lux cernere, mens meditari
 Ergo piæ turbæ spes siderea sit in urbe,
 Victorique Deum scitote parare ⁹⁷ triumphum.
 Jam timor abscedat, ne gloria tanta recedat.
 Jam licitor veniat, jamjam decimatio fiat,
 Tela licet gerimus, rogo ne ⁹⁸ referre velimus.
 Sit manus imbellis, sit vox animusque rebellis.
 Corpora subsistent gladiis, non arma resistant.
 Sanguine, non telis, debet superare fidelis.
 Vincitur invictus, qui stat patienter ad iotus.
 Constituere pati, sermonibus his animati.
 Nec mora; mucronem stringit furor in legionem.
 Dant decimos pœnæ, parti parcendo novens.
 O ⁹⁹ quam crudelis pietas! O rixa fidelis!
 Miles ut occidat parcit, miserando trucidat;
 Et pius ut vivat, se vitæ munere privat.
 Hic studet ad flatum transferre luti cruciatum.
 Iste labore luti, flatus servire salutis.
 Ille necem differt; hic se mucronibus ¹⁰⁰ infert.
 Prævenit hic comitem, generat necis optio litem,
 Et dolet exsortem quisquis non sumere mortem.
 Qui stat post nonum, putat ingens sumere donum.
 Ter tribus expositis, non est dilatio ¹ mortis.
 Ille sed exsulat quem mox decimatio multat.
 Si liceat fieri, decimus cupit omnis haberi.
 Qui pereunt decimi, veniunt ad præmia primi.
 Cum sex centenis gaminisque novem duodenis,
 Quatuor occisis, stat pars non territa visis,
 Quam veluti fractam, mortisque metu labefactam,
 Velle reservari, plusquam socios imitari,
 Cæsar opinatur. Jubet ut sua jussa sequatur,
 Sive reluctantur, ² rursus decimi perimantur.
 Hinc Exuperius legionis signifer unus,
 Regia signa gerens, sed non ea ³ præmia quærens.
 Parti quæ restat vires ad vulnera præstat.
 Dum sic hortatur ne supplicium timeatur,
 Quod non tormentis cedat constantia mentis:
 Hactenus audistis, nunc cernere promerulistis.
 Et [f. En] comites vestri fieri meruere magistri.
 A quorum meritis ne degenerare velitis.
 Sed retinete fidem, contingat ut exitus idem.
 Neve resistatis moneo, licet arma feratis.
 Quis velit ulcisci potius quam regna pacisci?

A ⁴ Quæ sua sunt hominis felicia, nescia finis.
 Quo decoret taceo Deus agmina nostra tropæo;
 Quod pretium detur, quis honor, quæ palma paretur;
 Quæ cruor iste parit, ⁵ cum spiritus æthera scandit:
 Hæc magis utendo discuntur, quam referendo.
1539 Talibus utuntur qui pro Domino moriuntur.
 Unde capessendum reor illud, non fugiendum,
 Quod requiem donat morientibus, hosque coronat.
 Aspera nonne pati dubia sub sorte parati
 Regi paremus, plagasque necemque timemus?
 Quis cui spondetur quod perpes gloria detur,
 Se miser excusat, miser hæc tormenta recusat,
 Cum pro se stratos Deus asserat esse beatos?
 Nam se custodit, qui se pro te, Deus, odit,
 Atque metit lætus, quæ spargit semina, fletus.
 B Fulta piis verbis non paret turba superbis,
 Nec sacra dignatur: quapropter item decimatur.
 Hanc vim tormenti duo sustinere trecenti.
 [⁶ Sorte bis exacta, reliqua nec parte subacta,
 Cujus propositum manet exemplo stabilitum,
 Invitat princeps reliquos ad sacra deinceps.]
 Si contemnatur sua jussio, duro minatur.
 Sed fidei pugiles, reputando præmia, viles
 Cæsareasque minas, et qualescunque ruinas
 Corporis esse putant, quia pœnis gaudia mutant
 Optant ergo sequi socios, et muneris æqui
 Participes fieri cupiunt moriendo mereri;
 Neve diu tardent, sine sorte mori simul audent,
 Martyrii primos decus ut contingat et imos.
 Cæsar ut ad lethum videt omnes tendere cœtum,
 A solito cultu, nullo titubare tumultu,
 Plusque per arma mori, quam cedere velle pavori,
 Non numerare parat, quos frustra bis numerarat.
 Sed paritas fidei tolli quod inest aciei,
 Vindicat in tota, numeri quam sorte remota,
 Conditions pari decernit mortificari;
 Frenaque dans iræ, velut ad pugnam jubet ire
 Ad comitum mortes fidas sibi, disque cohortes.
 Neu facinus dubitent, neu civica prælia vitent,
 Præmia cadentis spolium jubet esse cadentis.
 Mox furor ad pœnas sociorum laxat habenas,
 Pæno spe mercedis contemnens crimina cædis.
 Qui licet arma ferant, cum non evadere quærant,
 Nec tegitur parma quisquam, nec dirigit arma;
 Sed similis pecori patientia muta furori
 Subjacet abjectis clypeis, jugulisque rejectis [f. re-
 [tectis]
 D Nec gladiis debent modo vulnera, quæ sibi præbent,
 Ictibus ⁷ aptando jugulum, gladiumque premendo.
 Prompta manus sceleri, nullique volens misereri,
 Neo juvenum florem, senii nec transit honorem.
 Ista libens tolerat, qui cœlica præmia sperat,

⁹⁷ Eln. Turon. et Ed. Red., *tropæum*. ⁹⁸ Tur., *ferire*. ⁹⁹ Sic et edit. Red., sed Elnon

Quamquam crudelis pietas est mista fidelis

¹⁰⁰ Sic et edit. Red., sed Elnon., *offert*. ¹ Ed. Red. et Elnon., *mitis*, ² Eln., *jubet ut decimi*. ³ Ed. Red., Eln. et Turon., *prælia*. ⁴ Sic ed. Red. Sed hic versus: *Quæ sua, etc.*, deest in Elnon. ⁵ Ed. Red. Eln. et Turon. habent *cum Mauritius memoravit*; quod nullum habet sensum. ⁶ *Sorte*, etc. Hic versus et duo sequentes desunt in Elnon., non vero in edit. Redonensi. ⁷ Eln., *obdendo*.

Et petit infandæ celeberrima tectæ puellæ.
 Ut fuit intrandi, fuit et data copia fandi;
 Argentum profert, preliumque libidinis offert.
 Illa viro raptæ: Properemus, dixerat, intro,
 Et trahi, ad lectum non hæc ad agenda profectum,
 In quo strata cito dixit: Mi chare, venito.
 Non faciamus ita, responderat huic eremita,
 Namque patens locus est, latebras nos quærere jus

[est.

Thaisis ait contra: Dens aspicit intus et extra,
 Tectaque noctis ei sic sunt quasi nuda diei,
 Quem si formidas, nullo¹⁶ velamine fidas;
 Si metuens homines latebras quæris interiores,
 Nescis quod quæris, qui non metuenda vereris,
 Humanos visus contemnito pariete sisus.
 Intulit hic monachus mulieris verba secutus:
 Si testis sceleris Deus est, ut et ipsa fateris,
 Nee locus occultus valet ejus claudere vultus,
 Ergo supervacue paries opponitur iste;
 Vicibus humanis sit enim procul arbiter omnis,
 Non tamen evades cum venerit ultima clades;
 Nam scelerum vindex scelerum sit testis et index.

1542 O dilecta Deo, regis cœlestis imago!
 Si Dominum nosti, cur servis illius hosti?
 Cur pro tam multis tecum pariterque sepultis
 Æterno dignæ crucianda cremaberis igne?
 Non debes vitæ, non debes sidere formæ,
 Omnes terra sumus, cito vita fugit, cito fumus.
 Tam veris verbis subito perterrita Thaisis
 Væ mihi, væ, dixit; pedibus senis oscula fixit,
 Et lacrymas fudens, et pugnâ pectora tundens
 Ore virum blando rogat, et suspiria dando
 Ut stans urbe foris expectat eam tribus horis
 Designaneque locum rumpit commercia vocum.
 Inde rapit gazas, pigmenta, monilia, gemmas,
 Vestes, argentum, tripodas, crateres et aurum,
 Et quæcunque sua fuerat de carne lucrata,
 In mediumque forum convectat opes vitiorum,
 Quadringentarum quæ constitit esse librarum;
 Suppositoque rogo: Prius hæc, ait, igne cremabo
 Quam pro servatis barathri cremer ignibus atrî.
 Et prius omnino lecti consorte carebo
 Quam pro commissis barathri demergar abyssis.
 O miseri cives! de quorum sum male dives,
 Qui scelus emisistis, et cum mercede¹⁷ petistis.
 Præteritæ vitæ fructum spectare venite.
 Pompa superborum redit hæc, et lucra malorum;
 Ignis consumet quidquid corruptio gignet;
 Pœniteat mecum vos, quos scelus inquinat æquum,
 Participes culpæ meritorum participate.
 Flens dabat has voces, et flere coegerat omnes,
 Cum videt in tepidam simul omnia lapsa favillam
 Evolat absque mora detestans facta priora,
 Et sequitur sanctum cupiens cœlestia tantum.
 Ille puellarum veniens ad septa sacrarum,
 Religio quarum contemptrix deliciarum

A Hinc, si defloeret, solamina ferre valeret,
 In cellam modicam gaudentem trusit amicam,
 Obstruxitque foris, monstrans exempla rigoris;
 Una parte tamen breve jussit inesse foramen,
 Per quod districtus posset contingere victus,
 Parvum pondus aquæ, panisque die sibi quæque;
 Nam potu gelido restinguitur atra libido,
 Et moritur mundo vivens de pane secundo.
 Delicias tales jubet ut sibi dent moniales,
 Neve quid addatur metuenda voce minatur.
 Ergo redire parat postquam sua vota patrarat,
 Cum sic de cella clamat miseranda puella:
 Mi pater, ausculta, nec enim paro dicere multa,
 Ne rogo discedas donec mihi quod precer edas.
 Mundi factorem breviter dic qualiter orem:

B Nomen ait Christi, quo nunquam digna fuisti
 Os per pollutum non est producere lutum;
 Nomen divinum sit ab ore tuo peregrinum,
 Sed neque presumas in cœlum tendere palmas,
 Fraude diu blanda quæ tractavers nefanda;
 Tantum mœsta sede, nec ab hoc sermone recede
 Qui me plasmati, quæso, misere¹⁸ roganti,
 Et caput et mentem conversa tuens orientem,
 Mente licet fessa, nunquam sic dicere cessa.

Hæc ubi dicta dedit plorans patriarcha recedit.
 Thaisis in obscuris solis intenta futuris
 Luce fruens claro cordis se mactat in ara,
 Jamque malis magnis cruciarat se tribus annis,
 1543 Cum Pater ille pius miserando laboribus

[hujus

C Christus utrum dederit veniam sibi noscere quærit.
 Te petit, Antoni [f. Tunc petit Antonium], parvulus
 [religioni

Orbis ab extremis vivebat ad ultima nemo,
 Quod quærat dicit, quod quærit postmodo discit.
 Nam jubet insomnes fratres Antonius omnes
 Nocte secutura lacrymis et supplice cura,
 Et precibus sanctis aures pulsare Tonantis,
 Pro qua discenda descendit Paphnutius abba,
 Cuilibet ut clausam dignetur pandere causam.
 Nec tamen his aperit quid sit quod discere quærit
 Tunc reliquis potior Paulus cognomine major
 Mentis in excessu, fixo super æthera gressu,
 Gemmis ornatum cernit radiare grabatum
 Murice coostratum, visuque per omnia gratum,
 Quod tanquam stellæ tres servaverit puellæ;

D Quæ dum miratur soli sibi talia fatur:
 Hanc, Pater Antoni, requiem tibi credo reponi.
 Reddita vox, inquit, quæ nil dubitabile inquit,
 Non cujus dicis, sed Thaisidis meretricis.
 1544 His ita compertis gressus ad Thaisida vertis,
 Optime Paphnuti, mox fracto carcere duci
 Præcipis inclusam longo cruciamine tusam,
 Atque renitentem, latebraeque fovere volentem
 Consolaris ita: Sit pax tibi, sit tibi vita,
 Non ultra plores, finisti namque labores

¹⁶ Turon., *cœlamino*. ¹⁷ Tur., *peristis* ¹⁸ Tur., *precauit*.

Omnia commissa tibi noveris esse remissa.
 Reddidit illa Patri; Quod sub tempore carceris atri,
 Quo semper luxi, nil longum, nil grave duxi
 Ad peccatorum numerum pondusque meorum.
 Hoc ita me pressit quod nunquam a mente recessit
 Naribus ut flatum sic gessi mente reatum.
 Tunc Pater: Hoc, inquit, tibi nil penale relinquit,

A Pectore quod tristi perfecte pœnitulisti;
 Namque Deo gratus plus spiritus est tribulatus,
 Quam tribulata caro cruciamine semper amaro.
 Plus cor contritum probat, inque bono stabilitum,
 Quam si compecis te semper ab omnibus escis.
 Quinquies illa tribus vixit super ista diebus,
 Et sic cum Christo, mundo requievit ab isto.

PASSIO

SANCTORUM MARTYRUM FELICIS ET ADAUCTI.

Felix fide, felix actu, Felix quidam nomine,
 Romæ natus et nutritus, et sacerdos ordine,
 Persecutione nota Christiano nomini,
 Vincit Diocletiano presentatur Cæsari.
 Dracus erat tunc præfectus, pessimus idolatra,
 Qui sanctorum jussu regis cruciabat corpora.
 Hoc injunctum erat illi merito sævitæ,
 Tanquam nulli miserturo, nil facturo tepide;
 Ad quem ductus sanctus Felix jussione Cæsaris
 Stetit ad tribunal sævum vacuus formidinis.
 Sprevit æque blandientem fraudulentis vocibus,
 Et subinde sævientem minis terribilibus.
 Jussus tandem thura dare statuae Serapidis,
 Templum cujus stabat juxta mansionem præsidis,
 Cum daturus putaretur vota supplex idolo
 Quæ debebat dare nulli nisi soli Domino,
 Inefflavit faciei saxei simulacri,
 Et subvertit quidquid erat consecratum dæmoni.
 Sic ostendit vanum esse quod pagani colerent,
 Quorum, flante Christiano, numina corruerent.
 Item ductus est in ædem volucris Cylenii [velocis
 Mercurii
 Tanquam Dei fortioris magno Jove geniti.
 Nam Separis ex Ægypto natus, Deus advena
 Posse minus putabatur quam Romana numina
 Risit Felix caduceum, virgam soporiferam,
 Risit et talaris pennas, et thiarum auream:
 Faciamus quod meretur, inquit, Jovis nuntio,
 Nec alarum, neque virgæ tutus sit præsidio.
 Exsufflavit ergo sanctus idolum Mercurii,
 Et per flatum dedit causam statuae confluiti.
 Mirum dictu! fregit bases oris [f. femoris et] æreas
 Et simulacrum nefandum vertit in minutias.
 Tertio Dianæ sacram ductus in ædiculam,
 Exsufflavit sicut prius, et subvertit statuam,
 Arcum fregit et sagittas, nec pepercit pharetræ
 Quibus se venatrix dea debuit defendere.
 Quid restabat jam ministris expectare melius
 Imo plus timendum erat cæteris numinibus.
 Mille deos evertisset, si sufflasset millies,
 Nec armati nec inermes evasissent dæmones.

B Ad perfectum revertuntur, et prædicta nuntiant,
 Et ei quo plus loquuntur, plus furores excitant.
 Felix lætus et quietus vultu stat intrepido,
 Crucuari vel mactari cupiens pro Domino.
 Tunc arreptus et pulsatus scandit in equuleum.
 Et distentus laniatur ad præfecti libitum.
 Dic, infando, dic, impostor, quibus maleficiis
 Destruxisti venerandam statuam Serapidis,
 Maia natum germen Jovis et Latonæ filiam,
 Per quas Roma tenet orbis totius monarchiam.
 Non est, inquit, sicut dicis, præses stolidissime,
 Non per istos regnat Roma, nec hos debes colere,
 Nam Serapis et Sarbastis (99), et Osiris perditus
 In inferno cruciandi mersi sunt profunditus,
 Jupiter et Maia natus et Latone filia
 Cruciantur in æternum propter sua crimina.
 C Solus Christus qui cum Patre regnat et cum Flavio
 Cujus virtus neque loco clauditur nec tempore,
 Est amandus et colendus ut Creator omnium,
 Per quem Roma tenet orbis totius imperium.
 Tunc deponi jubet sanctum prætor ab equuleo,
 Mandans suis quod volebat tacito consilio.
 Ostiensi via, dixit, ad secundum lapidem,
 Arbor est ad quam mactatur juxta ritum veterem,
 Huc ducatur, et rem sibi persuadere facitem
 Si contemnit deos nostros, veneretur arborem.
 Ductus Felix a ministris, ut mactaret arbore
 Quæ vicina stabat templo cujusdam simulacri,
 Videns turbam circumstantem infidelis populi
 Invocavit genu flexo nomen summi Domini.
 Mox erectus et conversus ad nefandam arborem
 D Exsufflavit, ut solebat, et fugavit dæmonem:
 Arbor, inquit, alta nimis duro fulta robore,
 In virtute Jesu Christi protinus avellere;
 Frangecadens fanum præens, aras, et simulacrum,
 Nec per te decipiantur ultra mentes hominum.
 Vix finitis verbis istis arbor ingens corruit,
 Et cum templo mensas, aras, idolum comminuit.
 Repejatur ad præfectum, nuntiantur tristia.
 Reus Felix presentatur, quæritur sententia.
 1545 Prætor Dracus, draco sævus et cruenta bestia

(99) Forte Hercules dictus Sarbasticus a Bursa urbe Achaie in qua celebratur.